



1. Boeck / Friderici Samuelis / Diss. De Notione  
Immensitatis Dei amplificanda Co  
templatione purgationis: Mundi.  
Regiomonti 1766. Autor G. C. Riccard.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevan,  
gelium Genesios' Cap: 221 Vers: XV. Helm,  
Stadt 1763.
3. Boehmer / D. philip. Adolph: / programma, de  
Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ————— programma, addita est illustratio  
addita est: illustratio loci 1 Corinthi 20, vers, 51,  
Halle 1766.
5. ————— programma in Commentationem ad  
illustrationem Aduerum Apostolorum, 1766.
6. Buchner / J. Andreae Elie: / programma in  
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh. Tob: / programma paraclati  
Appellatione Spiritui Sancto tributa,  
Halle 1764.

30a

DE OPERIBVS DEI  
 IN REGNO NATVRAE  
 SIGILLATIM II.  
 DE CONSERVATIONE  
 ITEMQVE  
 DE ANGELIS

---

DISSERTATIO THEOL. DOGM. REVEL.

---

QVAM  
 ADIVVANTE DEO T. O. M.  
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
 ET NVTRITORE CLEMENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO**  
 HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE  
 COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-  
 HAINAE NIDDAE SCHAVENBYRGI HANOVIAE  
 AC RELIQVA

PRAESIDE ET MODERATORE  
**GODOFREDO SCHWARZ**  
 THEOL. DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO  
 CONSISTORII SACRI ASSESSORE ECCLESIARVM HASSO-SCHAVEN-  
 BYRGICARVM SVPERINTENDENTE  
 AD D. MAII CIO IO CC LXIII.

H. L. Q. C.  
 DEFENDET  
**IOH. WILHELMVS HOMEYER**  
 RINTELIENSIS.

---

RINTELII TYPIS I. G. ENAX, A. T.



DE OPERIBVS DEI  
IN REGNO NATVRAE

DE CONSERVATIONE

DE ANGELIS

DE REVERENDISSIMO PATRE DOMINO

ADVOCATE DEO T. O. M.

RECTORI ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

ET VICE RECTORI CERVINIANO

SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DN. ERNESTO

HAESIAE LANDGRAVI PRINCIPIS ELECTORIS

COMITIS CATHELOI DECIAE NIGER

HAESIAE NIGER ET HANNOVERIAE

MA

GODOFREDO SCHWARZ

PHYSICAE ET MATHEMATICAE

PROFESSORI PUBLICO ACADEMIAE

HAESIAE NIGER ET HANNOVERIAE

AD D. MAR. 1700 EXIIT

H. C. C.

EXCUBIT

IOH. WILHELMVS HOMBERGER

RECTORI ACADEMIAE



# DE OPERIBVS DEI cet.

## SECTIO II.

### DE CONSERVATIONE SEV PROVIDENTIA.

#### §. 7.

**Q**uæ Deus creavit, eorum existentiam, vi sua potenti, quoque continuat; ac *partim* eorundem numero durationem proferendo, *partim* genera & species rerum, in decedentium succedentiumque individuorum ordine & multitudine decreta, sustentando sapientissimeque gubernando. Quod opus Dei alii *conservationem*, alii *providentiam dei*, utroque vocabulo latiore significatione sumto, vocant. Claficus doctrinæ locus, in hac materia, habetur Act. 17, 24-28. Conf. Matth. 6, 25-32.

*Dicendum  
nexus  
Ordo*

§. 8. Discimus vero, e sacris literis, conservationis æque ac creationis auctorem DEUM esse Act. 17, 25-28, eumque TRINUM, *patrem* Matth. 6, 26-32. *filium* Col. 1, 17. & *Spiritum S.* Pf. 139, 7. Solus enim Deus, omniscientiæ, sapientiæ, omnipræsentis, bonitatis, justitiæ, omnipotentis que suæ vi, tanto operi sufficit. Deus solus, rerum omnium ex creatione herus & dominus, gaudet jure, *tam* impediendi, ne quid, seu contra, seu præter, voluntatem suam, in mundo adspectabili juxta ac spiritali, eveniat; *quam* efficiendi, ut omnia sapientissimi decreti sui ex legibus fluant & eveniant. Denique si ad animum revocemus, mundum,

*Conservationis auctorem deus trinus esse probatur.*

quem unus deus cōdere potuit & condidit solus, seriem esse finitorum, coexistentium & succedentium, quoquo modo inter se connexorum, non magis in illo uno & solo universam coexistentium, quam succedentium, rerum seriem fundari, plane poruerimus intelligere.

*Ac partim  
sine mediis,  
partim ad-  
hibitis iis-  
dem*

n. 2. Interim, quum deus non semper agat potentia absoluta, sed, sapientia & bonitate iustitiaque sua impulsus, potentia sæpe etiam agat ordinata; jam sine omnibus mediis, jam adhibitis plerumque mediis & subsidiis, eum voluntatis suæ decreta, in opere conservationis, exsequi, docent sacræ literæ. Quorum posterius ipsa etiam evidenter cognoscitur, prius illud nulla saltim laborare *ἀντιφάσει*, intelligit. Sunt vero, quibus deus in hoc negotio utitur, *tum* omnes res creatæ, ad mutationum leges adstrictæ Gen. 8, 22. Pf. 104, 1-32. *tum* angeli in primis Hebr. 1, 14. Pf. 103, 20. Dan. 7, 10. *tum* homines, ii maxime, a quibus plurimum conditio, seu felix seu calamitosa, in ecclesia, politia & singulis domibus, pendet.

*Conserva-  
tionis obje-  
ctum gene-  
rale*

§. 9. Res, quas conservatio, seu providentia, ambitu suo complectitur, sunt omnia in universum ac singula, in cœlis & terris Neh. 9, 6. Pf. 145, 15. 16. Hebr. 1, 3. vilia hinc quoque, & nostro iudicio futilia, sacræ literæ exserte ad eam referunt Pf. 147, 8. 9. Matth. 10, 29. 30. Magis tamen hoc beneficio fruuntur spiritus intelligentes, idque ob receptibilitatem, qua gaudent, operantis virtutis divinæ: maxime de eodem persuasi esse possunt, inter homi-

*Speciale*

*Specialissi-  
mum.*

5  
homines, fideles & pii, utpote beneficii illius non modo indigi, sed & potiundi ejus cupidi recteque utentes adepto Pf. 23, 1. seqq. Pf. 4, 4. & 33, 18. seq. & 37, 18. 19. 25. Matth. 10, 29. 30.

n. 2. Qui providentiam divinam ad sola rerum genera & species, individuis exclusis, restrinxerunt, imaginationis suæ errore decepti, non animadverterunt, genera & species rerum abstractiones tantum intellectus esse, quæ non existunt, nisi in individuis, conservari hinc & curæ deo esse non possunt, nisi in individuis. Deinde pone, deum non curare determinaciones rerum existentium individuales; ergo erunt aliqua, imo longe plurima atque innumerabilia, a divinæ providentiæ imperio exempta. Quæ si quis minima putet, nulla dei cura digna, nescit iterum imprudens, magnarum rerum phœnomena nihil aliud esse, quam minimorum aggregata, quæ si quis in enumerato non habeat, intelligere etiam non licet, qui in potestate sua habere possit majora maximaque. Ratiocinationes ipsæ, adversus providentiæ divinæ universalitatem, *partim* ex subreptionis vitio natæ sunt, quod nostrarum manuum opera nulla plerumque conservatione indigent speciali, ergo & dei; *partim* ex vana persuasione manarunt, quasi deus, si omnium omnino rerum curam ageret, vel in beatitudine sua turbaretur, vel causa evaderet malorum, physicorum moraliumque, vel rebus futilibus, sordidis & indecentibus implicaretur.

§. 10. Est itaque PROVIDENTIA DIVINA *actio* *Quid pro-*  
*dei*

*Vitiose hac parte hypotheses denudantur & enervantur.*

videntia  
dei gene-  
ratim

dei trinunius (§. 8. n. 1.), qua res omnes in universum a se creatas, in caelo & in terra (§. 9. n. 1.), conservat, ad mutationes earum concurrit, & sapientissime gubernat omnia. Vnus quidem dei actus, sed ex tribus simplicioribus, nostro concipiendi modo, compositus; de quibus jam figillatim singulis.

Conserva-  
tio rerum  
strictius di-  
cta, asseri-  
tur

Et rotundi-  
us definitur

Qua vero  
ad limites

§. II. Ac primo de *conservatione* strictius dicta. Sume substantiam contingentem, vel momento temporis, propria sua vi, a vi divina independentem, existere: quoniam quod propria vi sua existit, & ab omni alia vi independente, est *ens a se*, est *ipse Deus*; substantia hinc contingens momento illo temporis fuerit ens a se, imo deus, quod est *ἑτερον*. Quare substantiæ contingentes omnes & singulæ non magis existentiam suam primam, quam existentiam suæ per singula momenta temporis continuationem, vi ipsi tantum modo dei debent. Et CONSERVATIO DEI nihil aliud est, quam *vis illa dei trinunius, qua substantias hujus universi omnes & singulas a relapsu in statum mere possibilitatis internæ vindicat*, efficitque, ut existentiam suam per singula momenta continuare queant. Recte hinc substantiæ contingentes fugitivorum instar e regno existentium in regnum interne nonnisi possibilitium concipiuntur; quorum vero fugam, vi sua, deus per singula momenta impedit: recte conservatio, theologis juxta ac non obesæ naris philosophis, dicitur *continuata creatio*, Job. 10, 8-12.

n. 2. Quod vero de substantiis contingentibus, existentiamque earundem continuatione, vi tantum divi-



divina possibili, affirmavimus & demonstravimus, cave ad limites substantiarum, seu compositarum seu simplicium, præcipiti iudicio rapias. Nulla enim vero limitationes substantiarum vi indigent in genere, nulla hinc quoque vi dei sigillatim, utpote defectus & negationes meræ, quæ, positis substantiis finitis, sine vi sustentante peculiari, & ipsæ ponuntur.

*Substantiarum extensionem non est.*

§. 12. Substantiis creatis vi ipsiusmet dei tantum existentiam suam continuantibus (§. præc.), sequitur, ut & vires suas, quæque in suo genere, vi tantum dei continent; neque enim substantia concipi sine vi sibi competente potest. Tum quia omnes mutationes status, in substantiis quibuslibet creatis, e vi illarum ejusque, pro ratione nexus sui cum aliis, applicatione manant; deo quidem vires illarum perpetuante, fieri non potest, quin omnes & singulæ substantiarum creatarum mutationes generaliter ab ipso pendeant: applicatio vero, seu determinatio, aut si mavis specificatio, earundem virium, pendeat ab ipsismet substantiis, pro ratione nexus sui cum aliis. Vnde **CONCURSUS DEI** (*Die Mitwirkung Gottes*) est vis illa dei trinumius, substantiarum creatarum vires, in omni mutatione status illarum, continuans. Qui dei concursus, primo, recte audit immediatus; continuat enim substantiarum creatarum vires deus sine medio: deinde, si cum philosophis & theologis veteribus, quod deus in singulis substantiarum status sui creatarum mutationibus vires illarum continuet, **MATERIALE SEU PHYSICUM ACTIONIS,**

*Concursus dei ad mutationes rerum assertur.*

*Concursus dei definitur.*

*Concurrere deus ad materiale,*

non statim  
formale a-  
ctionis

NIS, quod vero ipsemet substantiæ create vires suas in casibus quibusque obviis applicent, seu determinent, aut si mavis specificent, FORMALE five MORALE ACTIONIS, voces, recte enimvero concurrere deum ad materiale seu physicum actionis, non formale seu morale, asserueris.

Concurfus  
divinus ad  
formale eti-  
am actionis  
non est hu-  
jus loci.

n. 2. Fit tamen, scriptura docente, quod nec ratio *ἄνωθεν* esse intelligit, ut non solum materiale seu physicum, sed etiam formale seu morale, actionis a deo pendeat non raro. Vnde nonnulli *concursum dei specialem*, divisum in *miraculosum* Jud. 16, 28-30. & *moralem* Act. 1, 24. 25. eruerunt: & *moralem* amplius in *rationalem* Gen. 41, 16. seqq. Amos 3, 7. & *spiritualem* Luc. 2, 27-37. dispescuerunt; de quibus vero sub gubernationis divini nomine rectius egerimus.

Gubernatio  
dei rerum  
omnium as-  
seritur

et rotunde  
definitur.

§. 13. Sed cum omnia sapientissimo dei consilio, secundum decretum ipsius de mundo condendo conditoque; agantur & fluant, deum a singularibus quoque rerum creaturarum mutationibus, absit! removeamus Act. 17, 24-28. *Vis illa dei trinitus, qua omnes ac singulas rerum creaturarum mutationes ad finem suum, in æterno decreto constitutum, dirigit*, GUBERNATIO DEI audit.

Divisiones  
ejus varia.

n. 2. Facit vero illud vel *mediate*, vel *immediate*, plus minusve; unde gubernatio dividitur in *ordinariam* & *extraordinariam*. Et *ordinaria* amplius dispescitur in *generaliolem*, circa res inanimatas animantiaque bruta occupatam, & *specialem*, occupatam circa homines eorumque actiones liberas, se-  
cun-

9  
cundum leges physico-morales dirigendas. De *extraordinaria* seorsum dicendum erit infra.

§. 14. *Gubernatio divina ordinaria* GENERALIOR in eo consistit, quod deus nexum rerum omnium, coexistentium & succedentium, tam æterno decreto Prov. 19, 21. quam executione ejus in tempore Pf. 104, 1-32. ita constituit, ut genera & species suas, in certo individuorum tam numero Matth. 10, 29. sq. quam habitu Gen. 41, 29, 30. continuare possint, mutationesque secundum leges inertiaeque in mundo corporeo, secundum leges facultatis cognoscitivæ & appetitivæ inferioris in regno animali, producere Gen. 1, 11. 12. 22. 28; idque civium suorum, qui sunt spiritus creati, salutis provehendæ causâ Act. 14, 17. Rom. 8, 28. Atque en simul providentiam, strictius dictam.

n. 2. *Gubernatio divina ordinaria* SPECIALIOR circa homines, eorumque actiones, occupatur. Ab ea enim 1) *vita hominum*, tam in *ingressu* Job. 10, 8-12. Pf. 139, 14-16. quam *progressu* Pf. 37, 22-25. nec non *egressu* Job. 14, 1-5. Pf. 31, 16. pendet. In *egressu*, tam quoad genus mortis, quam quoad vitæ finem. Qui finis vitæ vel *antecedens* est, vel *consequens*: antecedens vel *communis* Pf. 90, 10. conf. Sir. 18, 8. vel *privus cuique & proprius* Job. 14, 5. & 16, 22. Pf. 31, 16. sic etiam consequens vel *ordinarius* Gen. 49, 33. vel *extraordinarius*; 1 Reg. 14, 10-13. seu prolongatus sit Jef. 38, 1-5. coll. 2 Reg. 20, 1-6. seu abbreviatus, idque vel ex ira 1 Sam. 4, 11. 18. coll. 2, 31-34. vel ex gratia Jef. 57, 1. 2.

*Gubernatio  
dei ordinaria  
explicatur  
a) generalior*

*β) specialior,  
occupata  
a) circa vitam  
hominis  
cujusque*

B

n. 3.

occupata b)  
circa actio-  
nes huma-  
nas,  
generatim

figillatim

Gubernatio  
dei extra-  
ordinaria,  
in mira-  
culis eku-  
cens, ex-  
plicatur.

n. 3. *Actiones* 2) *hominum* deus dirigit *generatim* quidem a) quoad *actus elicitos*, (was die *Absfassung ihrer Neigungen und Entschliessungen betrifft*) ut scilicet illud velint hoc nolint, leges ferendo, laticonnexis praemiis vel poenis muniendo, occasiones & facultatem ad bonum perficiendum, fugiendum malum, subministrando: quoad *actus exercitos* (was die *Ausführung ihrer Neigungen und Entschliessungen betrifft*), ut scilicet decreta sua homines vel exsequi possint vel minus, eadem decreta ipsorum in executione vel impediendo, vel sapienter permittendo, vel dirigendo, vel limitando, vel etiam provehendo. *Actiones hominum figillatim bonas* deus probat, jubet, provehit, gratas habet & remuneratur peractas: *malas* contra improbat, prohibet, impedit, permittit, limitat aut sapienter dirigit, punit.

§. 15. *Gubernatio divina EXTRAORDINARIA* elucet in *miraculis*. Est autem *MIRACULUM*, proprie & stricte dictum, *eventus* (eine *Begebenheit*), non quidem contra *essentiam*, contra tamen vires rerum *creatarum contingentes*, & *mutationum leges in illis fixas*, *absoluta dei potentia producti*. Quare, si cum *miraculis eventus admirandos*, vulgo *mirabilia*, Act. 8, 9-II. casusque *inexpectatos & rariores*, non confundas, et solum deum *miraculorum auctorem esse*, et *absolutam dei potentiam*, quod in *definitione sumimus*, ad eadem producenda requiri, facile poteris intelligere. Vnde efficitur, ut, si qui homines *miracula ediderunt*, *instrumenta tantum modo* fue-

fuerint in omnipotente manu dei, Deut. 13, 1-3. Edita autem esse miracula re vera, apertissime docet scriptura: potuisse edi, nec indigna, ut identidem ederentur, perfectionibus esse divinis, ipsa perspicit ratio. Licet enim proxime & immediate potentiae divinae documenta sint, mediate tamen & remotius, quin sapientiae quoque, bonitatis & iustitiae cet. dei effectus evadant, nec quidquam obstat, & testimonia scripturae id abunde probant.

*Miraculorum veritas probatur.*

n. 2. Solet ad divisionem quoque miraculorum, distinctioris repraesentationis & explicationis illorum gratia, adtendi: nempe, quod *vel* in mundo adspectabili & animali Jos. 10, 12-14. Num. 22, 27-30. Jon. 2, 1. II. *vel* spirituali Luc. 1, 11-38. fiant: *vel* in regno naturae Gen. 7. 8. & 19. *vel* in regno gratiae Act. 9, 3 seqq. coll. 26, 12-19. & 10, 1 seqq. imprimis v. 44. ac *vel* contra naturam 2 Reg. 6, 4-7. Dan. 3, 20-28. *vel* supra naturam Joh. 9, 6. 7. Act. 3, 2-10. *vel* praeter naturam Gen. 19. Ex. 14, 16-29. edita deprehendantur.

*Miraculorum classes variae.*

§. 16. Coronidis vice adjungimus. Tametsi miracula omnia, de quibus certa fide constet, ad regni gratiae incrementa, seu propius seu remotius, edita legamus: ac *vel* ad confirmationem doctrinae caelestis Joh. 14, 11. Act. 13, 6-12. annuntiatae, *vel* ad adtentionis in praedicata doctrina illa excitationem Act. 3, 12 seqq. 14, 7-18. *vel* ad legationis, qua prophetarum & apostolorum, vice dei, functi sunt, auctoritatem asserendam Exod. 4, 1 seqq. cet. Matth. 11, 2-5. vindicandamque 2 Reg. 1, 6-12 & 2, 23. 24.

*Monita, in dijudicandis miraculis, observanda.*

hominem tamen omnino nullum, una & sola miraculi alicujus virtute, ad deum conversum esse, legimus: non ipsum Paulum Act. 9, 3. seqq. non Cornelium ib. 10, 1. seqq. non carceris custodem ib. 16, 26-33. cet. Et perperam recentiores quidam mutationes regenitorum salutares in miraculis regni gratiæ, quæ quotidie edantur, reposuerunt; quas supernaturales conveniebat dicere, non miraculosas. Discrimen enim est, quod miracula absoluta dei potentia producantur, mutationes supernaturales regenitorum ordinata; ilicet in ordine pœnitentiæ & fidei, accendendæ & alendæ per verbum dei & sacramenta, divinitus instituta, in morose non resistentibus. Denique vel scripturam legentibus, fidemque eidem adjungentibus indubitam, magna in dijudicandis miraculis opus est circumspectione, ne vel in excessu peccemus creduli & superstitiosi, vel in defectu scioli & irreligiosi.

Conservationis rerum omnium finis.

§. 17. Conservationem rerum creatarum non aliud esse, quam creationem continuatam, ostendimus (§. II. fin.); non alii hinc fines quoque esse possunt conservationis, quam, in creatione rerum omnium deo fuisse, docuimus (§. 6.): civium nempe suorum, qui sunt spiritus finiti, salus, manifestatione gloriæ suæ, bonitatis maxime, sapientiæ, justitiæ & potentiæ, provehenda.

Ejusdem profunditates absconditæ.

ii. 2. Et, si opus creationis, quam longe lateque patet, nemini, præterquam deo omniscio & omnipræsenti, animo contemplari datum est, nemini profecto miræ videri debent viarum divinarum profunditatis.

funditates, longissime saepe, in conservatione & gubernatione rerum omnium, ab oculis nostris subductæ, atraque quasi nocte circumseptæ Rom. II, 33. Pl. 73, 16. Nos vero 1) res nostras, quisque in statione sua, sedulo agamus, moniti a deo, qui plurima maximaque de sublunari sede nostra revelare nobis voluit, paucissima de supralunaribus. Quæcunque 2) nobis eveniunt, tanquam virtutum & vitiorum, prudentiæ & imprudentiæ, pietatis christianæ & honestatis tantum civilis & philosophicæ, consecutiones in suas classes digeramus; ut justum *inter* præmia & pœnas veri nominis, *inter* judicis iram & patris optimi gravitatem, *inter* fortunæ & infortunii ludibria, facere queamus discrimen; quo uno profecto discrimine, sapienti & pio, vera nostra stat caditque salus. Minimarum quoque 3), ad negotium illud rite obeundum, rerum rationem habeamus & circumstantiarum, cum & nos ipsos & quæ extra nos sunt examinamus; minima enim quæ videntur, jam scintillæ maximorum evadere solent incendiorum, jam segetum longe laetissimarum amplissimarumque semina & incrementa.

### SECTIO III.

#### DE ANGELIS, BONIS AC MALIS.

§. 18. Utitur deus in gubernatione rerum, humani maxime generis, spirituum quorundam finitorum ministerio; qui ab hoc ipso illorum officio מַלְאָכִים græce ἄγγελοι, id est *nuntii, ablegati*, ἐξόχως in scriptura sacra vocantur. Nam alias *et* filius dei.

*Sapienter  
ejus a nobis  
usus*

*Nexus &  
ordo dicen-  
dorum de  
angelis*

*Exsistentia  
illorum ad-  
struitur*

dei, et homines, imprimis a deo missi, doctores hinc ecclesiæ, hoc nomine in iisdem scripturis insigniuntur. Ac potuisse deum spiritus hujusmodi finitos, ab animabus humanis distinctos, complures condere, nec ratio sibi derelicta refragatur: conditos esse revera ratio probabiliter conjicit, scriptura vero sacra exsertis verbis tradit. In locis doctrinæ classicis reponimus Ps. 91, II. 12. Hebr. I, 14. Matth. 18, 10.

*Duplex ge-  
nus, bono-  
rum & ma-  
lorum, no-  
tatur.*

n. 2. Distinguit vero scriptura inter *angelos bonos*, qui in fide erga deum persistenter, inque genus humanum propensissima voluntate feruntur, & *angelos malos*, qui, rebelles a deo facti, toti in eo sunt, ut genus humanum in inimicitiarum suarum contra deum, & furiarum miseriarumque, partem pelliciant.

## MEMBRUM I.

### DE ANGELIS BONIS.

*Quod an-  
geli boni a  
deo, eoque  
trinuno,  
conditi.*

§. 19. Debent, ut contingentia omnia, sic & angeli boni, existentiam suam deo, eique trinuno; id quod ex absoluta scripturæ enuntiatione Gen. 2, 1-3. Ps. 33, 6. coll. Luc. 2, 13. 14. & ex clara litera, filio dei creationem invisibilium quoque omnium in universum, potestatum & principatum, tribuente Col. 1, 16. evincitur. Quod Moses expressam de creatione ipsorum mentionem nullam facit, non statim in re dubii haerebimus, si meminimus, principem ipsi fuisse scopum orbem nostrum describere terraqueum, uti suo jam loco notavimus. (§. 4. de Creatione).

n. 2.



ubi n. 2. Qui creatōs a deo affirmant, longe au-  
 tem ante ἐξάντηρον Mosaici spatium id accidisse vo-  
 lunt, & minus circumspectos philosophos sese  
 probant, & temerarie scripturas sacras tractant, in  
 locis Gen. 2. & Ps. 33. supra citatis. E loco Job. 38,  
 7. contrarium nequit profecto demonstrari. Pre-  
 cario enim sumitur, ἐξάντηρον hic ad amissim re-  
 peti, sine ulla partium transpositione, sine ulla con-  
 fectariorum, a rebus insecuti temporis petitorum,  
 intercalatione. Quo Jobi loco, ab arbitraria tan-  
 tum explicatione, vindicato, angelos primo creatio-  
 nis die conditos esse, effici haud potest: multo ve-  
 ro minus audiendi veteres quidam, creationem il-  
 lorum die secundo invenisse sibi visi. Quin potius,  
 si ad progressionem dei ab exilioribus ad sub-  
 limiora in creando, donec homines, ratione prædi-  
 tos, conderet, animum advertere, rerumque con-  
 sultere analogiam, velimus; angelos ipsos sexto quo-  
 que die, et, si quidem præstantiores homine sint,  
 procreatis demum hominibus, conditos esse, quam  
 verisimillime colligemus.

§. 20. Essentiam & naturam angelorum bono-  
 rum non melius, quam ex *πρω* scripturæ, tum ex  
 facultatibus & viribus, facultates & vires ex exer-  
 citiis & negotiis ipsorum, cognoscemus. Docent  
 vero nos sacræ literæ, angelos bonos I.) spiritus esse  
 Hebr. 1, 14. ad laudes divinas compositos Ps. 103,  
 20. 21. Ps. 148, 2. inque laudibus dei assiduos Es.  
 6, 3. Apoc. 5, 11-13. Christo inprimis, tam exina-  
 nito, quam ad gloriam evecto, ministros datos Matth.

4, 11.

Quando,  
 quove  
 ἐξάντηρον  
 die creati?

Quanam sit  
 essentia &  
 natura  
 AA. bb.  
 disquiri-  
 tur.

4, 11. & 13, 41. 49. & 24, 31. & 25, 31. quem cultu  
adorationis prosequantur Phil. 2, 10. Hebr. 1, 6. cu-  
jus voluntatem non minus, quam dei summi, ex-  
sequantur Matth. 26, 53. Pf. 103, 20. 21. Eisdem  
2) spiritus castissimos docent sacræ literæ, homini-  
bus quoque, propter deum, amicos, credentibus &  
piis suis maxime fidelia servitia præstare, tam in  
regno naturæ Pf. 91, 11. 12. Gen. 32, 12. Pf. 34, 8.  
cet. quam in regno gratiæ Hebr. 1, 14. Matth. 18,  
10. Luc. 2, 10-14. & 15, 10. & 16, 22.

Essentia &  
natura illo-  
rum propi-  
us etiam  
determina-  
tur a) ar-  
gumentis  
certis.

11. 2. Angelos hinc bonos spiritus esse colligi-  
mus, sive substantias simplices, intellectu & volun-  
tate præditas, finitas tamen & limitatas. Nam &  
ignorare quædam eos discimus Marc. 13, 32. & co-  
gnoscendo proficere 1 Petr. 1, 12. Cæterum sancti  
Matth. 25, 31. bonis deoque fidelibus gaudentes Luc.  
15, 10. insigni potentia præditi Pf. 103, 20. ab impe-  
rio tamen dei dependentes II. cc. Vnde absit! ut cul-  
tu religioso eos prosequamur. Vetant id enim-  
vero sacræ literæ Apoc. 22, 8. 9. vetat conditio eo-  
rum; sunt enim certe in rebus & ipsi tantum-  
modo creatis. Vnitos esse cum subtili quodam cor-  
poris vehiculo, ad actiones & negotia illorum ad-  
tendentibus valde fit probabile. At singulis vel lo-  
cis, vel ætatibus & statibus hominum, vel singulis  
etiam hominibus, angelos suos esse, præfides & cu-  
stodes, bona potius fide creditur, quam ut probari  
rite possint sententiæ, arbitrarie nimis admatæ.

2) valde  
probabili-  
bus.

Numerus  
AA. bb. si-  
gnificatur

§. 21. Ingens angelorum bonorum numerus,  
non ex generis propagatione Matth. 22, 30. sed  
pri-

primæva creatione, derivandus, aperte ex locis Apoc. 5, 11. Dan. 7, 10. Pf. 68, 18. cognoscitur: eum vero ex Matth. 26, 53. & 18, 12. 13. aut aliunde, frustra subducere veteres quidam tentavere.

n. 2. Idem dictum est de variis angelorum ordinibus, quos non solum denominationes angelorum & archangelorum, sed & plura alia nobis insinuant nomina Eph. 1, 21. Col. 1, 16. 1 Petr. 3, 22. Nec a beata ipsorum conditione abhorret omnis vel graduum in facultatibus & habitibus diversitas, vel mutua subordinatio. Verum qui ordines illos numerant, & dignitatis ipsorum constituere voluerunt gradus, suo non nisi abundarunt ingenio.

§. 22. Majoris momenti est consideratio status bonorum angelorum moralis, ejusdemque ad deum relati. Certum est, bonos omnes conditos esse & singulos Gen. 1, 31. et, quia nonnulli lapsi sunt Joh. 8, 44. certum & illud, statum ipsorum originalem statum fuisse explorationis; in quo tam labi labendoque a deo deficere, quam in integritate & sanctitate persistere, habitusque sibi, legitimo facultatum rectoque incrementorum cognitionis, & concreatarum ad sanctitatem tuendam virium, usu, comparare potuerunt. At sancti cum jam dicantur Matth. 25, 31. imo intuitiva dei cognitione frui afferantur Matth. 18, 10. qua phrasi scriptura alias utitur de hominibus, ad beatitudinis statum, in quo non amplius labi poterunt, evertis Apoc. 22, 4. Matth. 5, 8. angelos bonos tantum jam in bono cognoscendo appetendoque, malo vero averfando fugien-

Et condenda de iisdem definitioni character proprius suppeditatur.

Quid de ordinibus & subordinacionibus illorum censendum.

Confirmatio AA. bb. in bono quomodo concipienda.

giendoque confirmatos esse, recte concluditur. Idque eis præmii accessisse verisimillime conjectatur, postquam, constituto quodam explorationis a deo tempore, fidem numini ejus probarunt & constantiam.

*Officium nostrum erga angelos bonos.*

n. 2. Quos quidem spiritus purissimos, circa nos assiduos, hoc magis lædere cavebimus, quo magis curæ nobis cordique fuerit, non committere, ut contra nos, coram tribunali divino constitutos, testimonium olim edant, justoque dei judicio damnatos insequantur Matth. 13, 41 seq. & v. 49. seq.

## MEMBRUM II.

### DE ANGELIS MALIS.

*Angeli mali unde dicantur? & synonymia de illis biblica*

§. 23. MALI dicuntur *tum* ob actum apostasias a deo malum, *tum* ob malitiam habitualem, *tum* a perseverantia in malo. ANGELI autem etiamnum audiunt, *tam* a statu præterito, quod, nuntii legati-que dei ut essent, conditi fuerunt, *quam* a statu præ- sente, quod tanquam nuntiis apparitoribusque suis caput illorum eis utatur. Atque a facerrimis, quibus jam distinentur, occupationibus, deo rebelles, hominibus infestissimi, pluribus aliis insigniuntur nominibus metuendis, ut satanæ Job. 1, 6. Matth. 4, 10. diaboli Matth. 25, 41. Luc. 8, 12. hostis & adversarii Matth. 13, 25. 39. τοῦ πονηροῦ Matth. 6, 13. & frequentissime in malam partem *demonis* Marc. 5, 12. cetera.

*Sacerrima illorum negotia, homines & deum*

n. 2. Sunt autem sacerrima illorum negotia *partim* in deum, *partim* in homines, directa. Nam, ut hominibus noceant, gratia imprimis dei eos exu-

exuant, inque societatem *ocopiaxias* atque adeo communis malitiæ miseriæque, trahant I Petr. 5, 8. Job. 1, 9 seqq. 2, 4. 5. Luc. 8, 12. Matth. 13, 38. 39. & 25, 41. (quod non magis mediate, quam immediate conantur. I Chron. 22, 1. Luc. 22, 31. Joh. 13, 2.) deum ipsum dictaque ejus calumniis incessunt Gen. 3, 4. 5. honorem & gloriam illius imminutum eunt Matth. 4, 9. 10. Huc omnis cultus comparatus est idololatricus, seu crassus seu subtilis, Act. 12, 22 seq. Eph. 5, 5. Phil. 3, 19. In quem cultum cum potior ab omni ætate hominum pars inclinaverit, maloque magis genio, quam deo optimo maximo, morem gesserit, fit, ut scriptura malum genium mundi deum 2 Cor. 4, 4. & principem hujus mundi Eph. 2, 2. vocet.

n. 3. Cum quibus si jungantur, quæ factæ literæ de verfuita impurorum horum angelorum calidiffima Job. 1, 9-11. & 2, 4. 5. Marc. 1, 24. & 5, 7. 2 Cor. 11, 14. malitia nefanda Joh. 8, 44. Apoc. 12, 12. potentia item non exigua Eph. 6, 12. I Petr. 5, 8. Matth. 12, 29. testantur; conjunctis, inquam, omnibus istis, angelos malos spiritus quoque esse, intellectu & voluntate præditos, finitos tamen inque operationibus suis limitatos, cognoscere licet. Limitatos eosdem in operationibus suis probant scripturæ loca Job. 1, 12. & 2, 6. quid, quod inscii & inviti honorem dei provehant coll. Job. 42, 7 seqq. deo nefarios illorum conatus ad optimos fines suos sapientissime dirigente Joh. 13, 2. coll. Act. 2, 23. Luc. 22, 22. quid, quod filius dei in

C 2

contra, de-  
scribuntur.

Essentia &  
natura an-  
gelorum  
malorum  
propius de-  
termina-  
tur.

car-

carne nostra apparuit, ut diaboli destrueret opera I Joh. 3, 8.

*Est malorum quoque angelorum ingens numerus*

*Est inter eos subordinatio.*

*Manichæismus & Balianismus perstringitur.*

*Orthodoxaque sententia stabilitur.*

§. 24. Ingens angelorum quoque malorum numerus tam ex *ἰστορία* scripturæ Luc. 8, 2. 30 & 11, 15. 26. Marc. 5, 9. quam ex operationibus eorum, quas ubique terrarum peragunt, elucet.

n. 2. Sed & subordinationem quandam inter ipsos dari, ex mentione cum imperii, tum principis dæmoniorum, quam scriptura facit Luc. 11, 15. 18. Apoc. 12, 9. clarum fit.

§. 25. Qui, ut omne malum, sic & ipsos malos angelos, a *principio* quodam *malo*, eoque independente, derivarunt, crassa Minerva philosophati, animadvertere sive non potuerunt, sive noluerunt, sententia hac sua se independens *principium* alterum, quod iidem sumunt *bonum*, dum hujus justitiæ, potentia & majestati absolute summæ, limites figunt, penitus destruere, deumque ex deo tollere.

n. 2. Sobrie hinc magis &, ut decet, rationes dextere, secundum naturæ & scripturæ lumen, subducturis firmiter statuendum est, creatos esse angelos, in universum singulos, a deo, & quidem bonos Gen. 1, 31. intra tempus *ἐξ ἀρχῆς* Gen. 2, 1. Quosdam vero ex illis, apparente quodam bono deceptos, a deo descivisse Joh. 8, 44. falso persuasos, fieri posse, ut divino sese subtraherent imperio. Proprium hinc regnum, sub capite quodam, constitutum ivisse, Jud v. 6. 2 Petr. 2, 4. Ex quibus præterea locis discimus, pœnis rebelles utique subesse divinis, quas jam luunt, errorum mendaciorum-

rumque tenebris immerfi Jac. 2, 19. Marc. 5, 7. coll. Matth. 8, 29. inque machinationibus suis limitati Joh. 16, 11. Jacob. 4, 7. 1 Petr. 5, 8. 9. Eph. 6, 11-18. olim autem luituri adhuc sunt complemento interminabili Matth. 25, 41-46.

n. 3. Ad tempus lapsus illorum quod adinet, accidisse eum antequam lapsi essent homines, certum fit atque exploratum ex Gen. 3, 1 seqq. licet tam defectionis terminus, quam moliendæ rebellionis causa & ratio, tacente scriptura, præcise & diserte indicari nequeat. Difficile hinc quoque cognoscitur dictu, quare angelis lapsis salvator nullus contigit, nulla eis spes relicta apud deum salutis Jud. v. 6.

*Tempus  
lapsus AA.  
mm. ratio  
impellens &  
rejectio ip-  
sorum im-  
perscruta-  
bilia nobis  
omnia.*

NOBILISSIMO ATQVE ORNATISSIMO  
RESPONDENTI SVO

S. P. D.

PRAESES.

**P**rodire in arenam academicam voluisti, arduæ de providentia divina veritatis causam, contra commilitones aliquot excitatos paratosque, defensurus. Ego vero officio meo defuissem, si alacriter & ingenuè ad eam rem adgressum Te, consilio, opera mea & præsidio, adjuvare dubitasset. Dare id multo magis tuis etiam debebam virtutibus, quem in acroasibus meis theologicis, per complures annos, assiduum habui, tum discendi cupiditate, quæ ipsa ad regiam Fridricianam Te excivit in eaque annuo spatio tenuit, perspectum, moribus denique, quoad pueritiæ tuæ memoriam ultimam

reco-

recordor, commendabilem. Adde quod ex tentamento, intra pri-  
vatos parietes nuper Tecum inito, testimonium retulisti, ut inclito  
Consistorio nostro ecclesiastico dignus sis judicatus, qui in numerum  
Candidatorum ministerii dioecesani admittereris. Non ignarus ve-  
ro, usum & experientiam dominari in artibus, probe facis, quod Te  
ab exercitationibus academicis adeo non removeas, ut ultero illis po-  
tius, in promptu Tibi quippe positus, utaris. Sic enim studiosi lite-  
rarum res suas sedulo agunt: sic fortunæ infortunisque ludibria præ-  
denter discernere discunt: sic, quæ superciliosis, aut in diem viven-  
tibus, minima esse videntur, in segetum longe lætissimarum amplif-  
simarumque incrementa convertunt: sic saltem cavent, ne minimo-  
rum istorum incuria & neglectus scintille maximorum evadant in-  
cendiorum. Deus perpetuos conatus tuos sinceros, dulcissimorum  
sub parentum incolunitate, fortunet! Quod si quid a mea in rem  
tuam redundare fide & industria posse putas, copiam mihi fac per-  
suadendi Te firmiter, credidisse Te homini, Tibi studiisque tuis  
ex animo faventi. Scrib. Rintelii die 16. Maji c1b1ccLXIV.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS RESPONDENTI,

AMICO SVO FIDEI SPECTATAE

FAVSTISSIMA QVAEVIS PRECATVR

C. W. SCHROETER, RINTEL. Opp.

**I**ngemiscentes plerumque audimus mortales, læto conaminum even-  
tu destitutos, in providentiæ diviniæ & gubernationis sapientif-  
simæ viis, quas horrent. Demirandis, ob intellectus nostri tenui-  
tatem, semitis, quibus civium suorum turmam deus persæpe ducit,  
inviti maxime incedunt miseri, onerique, quod Aetna gravius sibi  
fungunt, tremuli succumbunt non raro. Superficiariam providæ be-  
nignissimi numinis curæ cognitionem: neglectam imbecillitatis inge-  
ni



nii humani estimationem sobriam: vanam latitiæ, quam cor captat mortalium, ejusdemque non interrupta, jam in hac vita, possessionem, turbidas querelarum illius generis esse lamas, ad quas, neglectis fontibus purissimis, plerique recurrunt, quis est cordatus rerum humanarum estimator, qui non vider? Gradibus plerumque nos ducit fortuna, moderamini scilicet divino subjecta, ad fastigium, ad quod anhelamus quaecumque: gradibus nos eam sequi oportet: gradibus hoc attingere. Quo magis Tibi, Amice desideratissime, hæc sunt cognita, perspecta, probata, eo magis laudare mihi licet grave alioquin, quod mis, institutum; licet eo magis applaudere, providentiæ divinæ, quam veneramur, strenuo defensori, qualem Te præstiturum, firmiter jam sum persuasus. Laetissime enimvero semper vives, prospere & perquam beate, si & in posterum providi numinis gratia fideliter confisus, quod ante hæc fecisti, quotidie vixeris. Salutaria interim utique nobis prodesse consilia, & juvenis non sine intimo oblectamento, & senex non sine dulci experieris solatio. Qua ut perpetuo gaudeas, auro quovis præstantiori, experientia, utque amore Tuo me in posterum digneris jucundissimo, denique ut semper vivas salvus & incolumis, est, quod etiam atque etiam exopto. Scrib. Rintelii V. Iduum Maji  
CID ID CC LXIV.

Iam spectant hilares fructus, quos legeris olim,  
Cynthiaus ille deus, Pieridumque cohors.  
Simplicitas animi nos ambo junxit amicos,  
Nec non Palladia nitida sacra pie.  
Nescis, qua sim perfusus dulcedine mentis,  
Quum TIBI Calliope basta fixit amans.  
Musa certatim solemnia gaudia jungunt:  
Gratulor ingenium non latuisse TVVM,

Paucu-

*Paucula transmittit spatio disjunctus amicus:*  
*Quæ modo cunque petis, det TIBI cuncta deus!*

*Amico per dilecto Homeyero in Ernestina disputanti  
 hæc in sincera amicitia resseram mittit*

JO. NICOLAVS VOIGT MINDENSIS.

**H**older Freund! die erste Frucht,  
 Die Du Dir zum Ruhm gesucht,  
 Siehst Du heute:  
 Heute krönet Lob und Preis  
 Deinen uns bekanten Fleiß.  
 Welche Freude!

**E**dle Ruhe, stille Lust  
 Wohne, Freund, in Deiner Brust!  
 Alle Tage  
 Golt Du neue Wonne sehen:  
 Fern von Dir, ganz fern soll stehen  
 Schmerz und Plage.

**Matthäus Wagner,**  
 aus dem Rheinfelschen.

**Schätzbarer Freund!**

**D**ich müssen Ruhm und Ehre führen,  
 Und Ihnen folge nur beherzt!  
 Von denen, die getreu studiren  
 Hat keiner noch sein Glück verscherzt.  
 Ich bin ein Zeuge derer Triebe,  
 Die Dich nach deinem Glücke ziehn.

Ein kleiner Zanct\* erfrischt die Liebe;  
 So wahr ich Opponente bin.

Dein

ergebenster Freund  
**Engel.**

78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507



Sb.

Hi. 100.







38a

DE OPERIBVS DEI  
IN REGNO NATVRAE  
SIGILLATIM II.  
DE CONSERVATIONE  
ITEMQVE  
DE ANGELIS

DISSERTATIO THEOL. DOGM. REVEL.

QVAM  
ADIVVANTE DEO T. O. M.  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
ET NVTRITORE CLEMENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DN. FRIDERICO  
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE  
COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-  
HAINAE NIDDAE SCHAUVENBURGI HANOVIAE  
AC RELIQVA

PRÆSIDE ET MODERATORE  
GODOFREDO SCHWARZ

THEOL. DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO  
CONSISTORII SACRI ASSESSORE ECCLESIAE HASSO-SCHAUVEN-  
BURGICARVM SVPERINTENDENTE

AD D. MAII CIO IO CC LXIII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

IOH. WILHELMVS HOMEYER

RINTELIENSIS.

RINTELII TYPIS I. G. ENAX, A. T.